

omnes illos, qui tenent vniuersale non esse ge- nus vniuersu ad hanc quinque: vi de supra, qua st. 4. art. 1.

Ad primu.

Ad argumenta in oppositum respondetur: ad primum distinguo antecedens: nam predicari, sicut & predicabile, seu predicatum; sumitur dupliciter: large, & improprie, seu illimitate; & transcendenter; & vt sic comprehendit predicatum, quod pertinet ad Problemata scibiles: predicatum enim, vt sic, respicit essentiam, de qua potest dici: vel predicatio ipsam; vt genus; vel distinctio: vel non predicando ipsam, vt proprium, & accidens: vel secundo potest dici de ipsa conuertibiliter; vt distinctio, seu proprium: vel non conuertibiliter, vt accidens, & genus. Si autem sumatur predicari, stricte; tunc tantum competit vniuersalibus, quae solum de pluribus limitate predicantur. Itaque solutio stat in hoc: omne vniuersale est predicatum; sed non e contra: & vltra: predicatum sumitur penes predicare essentiam: vel non predicare essentiam; conuertibiliter, vel non conuertibiliter: & ideo sunt tantum quatuor: distinctio, genus, proprium, & accidens: nam species non debet inter haec predicata numerari: tum quia reducitur ad distinctioem; quia sola species diffinitur: tum etiam quia, cu de singularibus predicetur, de quibus non datur scientia, non potest ad Problemata scibiles deferri: & si in feruit illi; erit tantum vt subiectum: & eadem ratione differentia inter praedicta non enumeratur: Vniuersale autem sumitur penes predicari de pluribus: & cum tantum sint quinque modi praedicandi; ideo tantum sunt quinque vniuersalia: quare si praedicari sumitur stricte: antecedens est verum: si vero large: est falsum.

Ad secundum.

Ad secundum: quod Maxima illa est vera, quoad correspondentiam significatorum, & non suppositorum; vnde si vnum oppositorum significat vnum; aut duo; tot significata alterum significabit: vt sanum, & agrum; & hoc; si secundum omnem significationem opponantur: sed si non: tamen si vnum oppositum praedicetur de multis suppositis; non est necesse; vt alterum de tot praedicetur: Ad alia duo argumenta infra in suis locis patebit.

ARTIC. II.

An Porphyrius in his enumerandis vniuersalibus debuit ordinem seruauerit?

QVIA in his enumerandis vniuersalibus, eorumque in explicatione tradenda, prius Porphyrius agit de genere, quae de specie; & prius de specie, quae de differentia: & prius de hac, quae de proprio: tandem de hoc, etiam prius, quae de accidente; merito in praesenti, quaeritur; an talis ordo sit recte traditus: & quia praecipua difficultas de prioritate trium priorum insurgere potest: ideo de ordine eorum inter se praecipue discutimus; & quod non a genere sit incipienda

probatur primo, ordo doctrinae correspondet ordini naturae, sed secundum nunc ordinem, prior est species, quam genus: igitur a specie est incipiendum. Maior patet: quia Ars imitatur naturam: minor probatur illud est prius, ordine naturae, quod prius intenditur ab ipsa; huiusmodi est species: quia natura non intendit generare animalia; sed vnam speciem animalis: ergo cum species sit prior; ab illa, & non a genere, est incipiendum.

1. Arg.

Secundo, a perfectioribus est nobis incipiendum: sed species est genere perfectior: quia totum semper est partibus perfectius; igitur, &c.

Secundam.

Tertio, secundum Aristotel. 1. Physic. a notioribus est incipiendum. sed accidens est notius substantia, cui substantia correspondet genus: ergo non a genere, sed ab accidente incipi debet: minor ex primo de Anima text. 11. apparet; ergo, &c.

Tertium.

Quarto, quod nec species debet praecedere differentiam, probatur quarto, cognitio totius pendet ex cognitione partium: quia totum, & pars, sunt correlatiua, quorum quodlibet ad cognitionem alterius conducit: sed differentia est pars essentialis speciei; sicut & genus: ergo de illa, prius, quam de specie, erat agendum: & hoc promissit Porphyrius anteponeus differentiam speciei; vt partem totius; ergo, &c.

Quartum.

Pro intelligentia, notandum primo, quod Logicum artificium in his exquirendis vniuersalibus correspondet exercitio, & ordini naturae, in alicuius conpositi generatione: nam Ars plerumque naturam imitatur: vnde cum generatio secundum Doct. in primo, distinct. 7. q. 2. littera E, duo includat; productionem, scilicet, & mutationem; illam, qua respiciat compositum; & istam, qua transmutet partem compositi; videlicet materiam primam, quae ipsi agenti praesupponitur; & qua transmutata de priuatione formae ad ipsam formam; dat agens eie totale termino productio, a quo dimanant statim passiones; ac tandem cui accidentia communia inhaerent. Itaque in hoc progressu naturali, prius intelligitur materia; postea forma educta; postea compositum, ex illis resultans; postea passiones ab eo dimanantes: ac tandem accidentia communia: Et ita suo modo in proposito est Philosophandum: prius enim consideramus genus, quod correspondet materiae; secundo differentiam, quae correspondet formae: tertio species, quae correspondet composito; quarto, proprium; ac tandem accidens commune.

1. Not.

Secundo notandum: quod duplex est ordo in scientijs procedendi: alius naturae, & alter doctrinae: ordo naturae est, quando struatur idem ordo, quem res ipsae inter se seruant secundum propriam naturam: siue talis ordo attendatur secundum prius, & posterius, quoad entitates; siue quoad aliquam naturalem modum, quem participant, etiam si vna entitas sit alia posterior: Ordo doctrinae est, quem seruat scientia in suo progressu, non penes res ipsas, sed penes nostram cognitionem, secundum quam illa res est prior, quae nobis est notior, & facilius; vt intelligatur: nam licet Ars imitetur naturam;

2. Not.

naturam.

Conclusio.

naturam; non tamen potest in omnibus illam imitari, ob nostri intellectus imbecillitatem.

Dicendum: tam ordine naturae, quam doctrinae, quinque vniuersalia sunt, recto, ac debito ordine, numerata. Haec est communis cum Doctore, & Porphyrio, in praesenti: & de ordine doctrinae, quoad genus, & speciem, patet; nam sunt correlatiua, & simul natura, & cognitio: ergo post tractationem generis, statim de specie, prius quam de differentia, erat agendum.

Confirmatur: nam Ars imitatur naturam: sed genus correspondet materiae, quae naturaliter est prior in composito naturali: ergo prius etiam ordine doctrinae est nobis de illo agendum: sed species est illius correlatiuum: ergo, ordine doctrinae, prius de specie, quam de differentia, est agendum: nam de Proprio, & Accidente, non est dubium: quia naturaliter sunt specie posteriora.

Dices: genus etiam est correlatiuum differentiae: nam est contrahibile per ipsam: ergo prius de differentia est agendum.

Respondeo: quod hic, non agitur de genere, vt est per differentiam contrahibile: sed vt est de pluribus differentibus specie praedicabile: & hoc modo non habet pro termino Differentiam; sed Speciem.

Secunda pars de genere, Proprio, & Accidente, constat ex not. primo, de Specie vero respecta Differentia probatur: quae ratio etiam de omnibus probat: modus praedicandi sequitur naturalem modum essendi: sed modus essendi naturalis, quem habet Species in suis inferioribus, est prior quam modus, quae in habet Differentia in suis: igitur, & modus praedicandi illius, adhuc ordine naturae, erit prior, quam modus praedicandi illius: minorem proba. Nam modus naturalis essendi in alio, per modum dantis esse simpliciter quidditatiuū prior est, quam modus essendi per modum dantis esse quale: sed Species est in suis inferioribus dando illi esse quidditatiuū simpliciter; Differentia vero est in suis per modum dantis esse quale: ergo modus essendi illius est naturaliter prior modo essendi illius: at per consequens modus praedicandi in quid est, ordine naturae, prior modo praedicandi in quale: ac per consequens prior est in tali ordine, Species, quae Differentia: & quia praedicari in quale essentialiter est prius quam praedicari accidentale: & hoc secundo modo, prius est praedicari conuertibiliter, quam non conuertibiliter: de primo ad vltimum: prior est Differentia, ordine naturae, quam Proprium: & Proprium, quam Accidentis commune.

Ad primu, & secundu.

Ad argumenta ad primum dico: quod licet species sit prior genere, ordine intentionis, non tamen ordine generationis: nam secundum hunc prius est genus; loquendo de vitro que pro materiali; in quo sensu genus est potentialius, & imperfectius; loquendo tamen de illis pro formalis; & vt correlatiua sunt; genus est Specie perfectius, non quoad entitatem, sed quoad specificationem: quia scilicet habet pro termino plura specie differentia, qui perfectior est terminus, quam plura differentia numero. Et per hoc ad secundum.

Ad tertium dico: quod Accidens est prius notum, cognitione sensitua, quam substantia; non vero cognitione intellectua; quia secundum istam, per quam habetur scientia, est substantia prius nota: & cum illi respondeat generis, ab illo prius incipitur.

Ad tertiu.

Ad quartum, quod Differentia; vt est pars constitutiua Speciei; est prior ipsa, quoad entitatem, ordine naturae; & ita intelligitur Porphyrius: non vero est, in tali ordine, prior, quoad modum praedicandi de suis inferioribus; qui sequitur modum naturalem essendi in illis; qui cum sit, in quid complete, est perfectior, & aliquo modo prior, quam modus praedicandi, & essendi Differentiae.

Ad quartu.

ARTIC. III.

An in rebus dentur subijcibilia in actu?

EGIMVS hucusque de vniuersali in communi, tam quoad esse materiale eius, quam quoad esse formale: & quia vniuersale seu praedicabile, & subijcibile, relatiue opponuntur, opere pretium duxi, pro completa vniuersalis intelligentia, nonnulla de subijcibilibus in communi disputare: & primo, an dentur a parte rei formaliter, quae difficultas similis est illi, quam mouet Doctor septimo Metaphy. An detur in rebus vniuersale in actu: pro qua sine argumentis notandum: quod sicut supra quaest. 1. ait Doctor vniuersale tripliciter sumi posse: sic de subijcibili est asseuerandum: est enim subijcibile concretum quoddam intentionale, dicens pro formali formam subijcibilitatis; pro materiali rem, quae a tali forma denominatur: & pro aggregato dicit vtrumque.

1. Conclus.

Dicendum primo in rebus a parte rei datur aptitudo fundamentalis subijcibilitatis: haec debet esse omnibus rebus communis: & probatur a parte rei datur fundamentum vniuersalitatatis: vt late quaest. 1. probauimus: ergo & subijcibilitatis: patet consequentia: quia aliter secundae intentiones vniuersales, quas rebus, vt inferioribus, tribuimus, essent fictitiae: quia fictae tales res illis subijciuntur: quod est falsum. Quare dicendum: quod omnis res Metaphysice composita, quatenus de illa rationes superiores, ex quibus constat, possunt praedicari, est fundamentum aptum ad subijcibilitatem; vt illis possit subijci; & intelligibiliter vniui, & comparari: nam ideo decem Praedicamenta non possunt subijci: quia partibus superioribus ipsa componentibus carent.

2. Conclusio.

Dicendum secundo. Subijcibilitas, formaliter sumpta, non datur in re: ante intellectus operationem: est etiam communis: & probatur eadem ratione, qua supra, vniuersale Logicum non dari a parte rei, probauimus.

3. Conclus.

Dicendum tertio. Subijcibilitas, seu secunda intentio subijcibilitatis, est relatio rationis secundum esse inferioritatis, quae inferiori respicit suum superius, tanquam id, cui potest per intellectum



subijci. Vnde subijcibile in concreto, sic diffiniri potest: est relatiuum rationis aptum suo superiori subijci. Itaque subijcibile, & inferius, idem important. Hæc conclusio etiam debet esse communis: & ex se patet.

2. Conclus.

Dicendum quarto. Subijcibilitas non est ratio formalis terminandi relationem vniuersalitatis; sed talis est ipsa natura, quæ a subijcibilitate denominatur: ipsa tamen subijcibilitas est cõditio, sine qua non, illam terminandis hæc in nostra Schola est certissima: quia relatio terminatur ad absolutum termini secundum Doct. & non ad relationem: de quo in suo loco: pro nunc autem probatur: vniuersale respicit inferiora, vt aptum de illis prædicari: sed subijcibilitas non est id, de quo vniuersale potest prædicari: sed tale est ipsa natura subijcibilis; ergo, &c. Itaque si cut genus non respicit relationem speciei in Equo, & Leone, sed respicit ipsas naturas: sic vniuersale in communi non respicit subijcibilitatem, sed naturas subijcibiles: licet ipsa sit cõditio, vt vniuersale respiciat sua inferiora.

Corollar.

Ex quibus patet, terminum relationis vniuersalitatis non esse omnia subijcibilia; prout in vna ratione subijcibilis conueniunt: esse terminum illius, quatenus plura sunt: vñ hæc est natura vniuersalitatis, vt respiciat plura, in quantum plura, pro termino adæquato.

ART. II.

Per quam operationem, intellectus resultet subijcibilitas.

CIRCA hunc articulum tot sunt sententiæ, quot supra quæst. 1. Art. 8. relatae sunt de resultantia vniuersalitatis, quas recevit serè superfluum erit: ceterum qui asserunt hanc relationem per actum comparatiuum resultare, non omnes conueniunt, an eodem actu numero, quo resultat vniuersalitas, resultet etiam subijcibilitas: an alio diuerso: & de hoc secundo est etiam nobis in præsentia determinandum: circa quod est prima sententia nostri Hieron. de Valera lib. 1. dist. 2. a. 4. q. 3. concl. 2. asserentis, vniuersalitatem, & subijcibilitatem extremorum cõrelatiuorum, & necessariam connexionem inter se habentium, eadem cognitione cõparatiua fieri, & resultare: quæ sententia probatur primo: tum quia non inueniuntur, quod intellectus eadem notitia simplici cognoscat duo relatiua: imò id necessario fatendum est: ex vi enim actus præcise, quo cognoscitur vnum relatiuum, vt patet, cognoscitur aliud: verbi gratia, filius: & cum cognoscit intellectus æqualitatem inter duo quantia, illa nequit cognosci, nisi vt vnusque ex utrumque cognoscat: ergo per vnã simplicem cognitionem cõparatiuam possunt superius, & inferiora cognosci, vt extrema cõrelatiua.

Secundã.

Secundo, quia superiori dato formaliter, debet etiam dari formaliter inferius: nihil enim potest esse formaliter, & in actu inferius, quando non habet supra se aliquid, quod actu, & forma-

liter, sit superius: nec è contra: sed per actionem comparatiuam, sit natura formaliter, & actu, superior, & vniuersalis: ergo per eandem sit formaliter inferius.

Opposita sententia semper mihi probabilior apparuit: pro qua in memoriam reuocanda sunt illa, quæ supra quæst. 1. Art. 8. & quæst. 2. Art. 2. docuimus de formatione secundarum intentionum: quibus positus.

Dicendum primo. Subijcibilitatis relatio per actum comparatiuum simplicem resultat. Hæc est apud nostros communis: & probatur: sicut de vniuersalitate probatum manet: nam videtur implicare vniuersaliter terminatam ad inferius resultare per actum comparatiuum simplicem; & quod relatio inferioritatis terminata, & comparata ad superius, & vniuersale, per actum etiam comparatiuum non resultet.

Dicendum secundo. Non solum subijcibilitas, & vniuersalitas, disparata in eodem subiecto: vt in specie, subijcibilitas ad genus, & vniuersalitas ad indiuidua: sed subijcibilitas, & vniuersalitas, cõrelatiua: vt subijcibilitas speciei, respectu vniuersalitatis generis: diuersis actibus cõparatiuis resultant.

Prima pars est omnibus nobis communis, & probatur: quia tales relationes nullam habent inter se connexionem; habentque terminos disparatos, & diuersos: ergo eadem actione, qua vna fit, non fit altera: quia comparatio, qua natura comparatur ad sua inferiora, necessario debet esse alia ab illa, qua comparatur, vt subijcibilis ad genus.

Secunda pars est Domini Maurij quæst. 3. Prohem. & Ioannis Anglici, quæst. 5. contra nouum Scotizantem Peruanum; quam sic ostendo. Primo, resultantia relationum istarum debet venari à resultantia relationum realium: sed paternitas, & filiatio, etiam si sint relationes mutue; non eadem actione, sed diuersa, pullulant; vt late suo loco probabimus: ergo vniuersalitas, & subijcibilitas cõrelatiua, similiter diuersis actibus comparatiuis resultant.

Secundo, actus comparatiuus, quo causatur vniuersalitas, non respicit subijcibilitatem, nec vt effectum, nec vt terminum: ergo subijcibilitas non causatur ab ipso: antecedens quo ad secundam partem conceditur ab ipso, quæst. 1. concl. 5. & quo ad primam patet: nam relatio in termino causatur ab ipso termino, & ab illis, quæ se tenent ex parte ipsius termini: ergo cum subijcibilitas sit relatio termini vniuersalitatis, ab illo, & ab illis concomitantibus, causabitur: sed actus comparatiuus, quo resultat vniuersalitas, non se tenet ex parte subijcibilis: ergo non ab illo, sed ab alio, subijcibilitas resultabit: probò minorem: quia quælibet istarum relationum est alteri opposita: vt ipse fatetur ibidem corollario primo: ergo requirit fundamenta opposita: sed fundamentum vniuersalitatis proximum est natura cognita, vt abstracta; & ratio fundandi est natura inferioribus comparata: & fundamentum proximum subijcibilitatis est natura inferior, vt cognita, & ratio fundandi est ipsa, vt comparata: ergo sicut actus absolutus, quo cognoscitur

2. Sentent.

1. Conclus.

2. Concl.

natura, vt abstracta à singularibus, est alius ab actu absoluto, quo cognoscitur natura inferior, vt inferior: ita actus comparatiuus, quo natura communis abstracta comparatur inferioribus, erit alius ab eo, quo natura inferior comparatur superiori; sed vt resultet relatio subijcibilitatis requiritur natura comparata, vt inferior: ergo actus, quo comparatur, erit alius à priori, quo ratio fundandi vniuersalitatis constituitur, scilicet, natura, vt cõparata: ergo, &c.

Ad primũ

Ad argumenta: ad primum dico: aliud esse intellectum cognoscere simul eodem actu duo cõrelatiua rationis: aliud eodem actu ea simul causare: hoc secundum negamus; nec illud probat argumentum: primum vero concedimus, quod tantum probat illa ratio: maxime quia in hoc casu, adhuc argumentum non vrget: nam quando cognosco eodem actu patrem, & filium; filium tantum cognosco secundum suum absolutum, & vt terminat paternitatem: vt vero cognoscam illum, quatenus relatiuum est, alia cognitio est necessaria.

Ad secundum.

Ad secundum dico: quod dato superiori, datur etiam inferius, non vt relatiuum est, sed vt absolutum, & vt terminus relationis superioris: sed ex hoc non sequitur: quod relatio subijcibilitatis resultet eodem actu comparatiuo: imò nec in esse termini per illum constituitur: sed per actum absolutum, quo cognoscitur, vt inferius, & quem, simul cum comparatiuo, habere potest intellectus.

ARTIC. V.

Quæ aptitudo constituat subijcibile in esse talis?

EXACTA huius articuli solutio pendet ex quæst. tertia articulo vnico: vbi esse vnum in multis essentiam vniuersalem; & esse prædicabile de multis esse eius passionem, ostendimus: quare sicut ibi notabili secundo diximus; naturam communem, præcise ab inferioribus, habere duplicem aptitudinem ad illa: alteram comparabilis respectu cõparationis actiua simplicis, ratione cuius intelligibiliter vnitur eis; & est in illis positiue; alteram prædicabilis, respectu cõparationis actiua complexæ, per quam de illis affirmatur tanquam superius prædicatum: ita in natura inferiori duplicem aliam aptitudinem ad superius considerare debemus: alteram (postquam iam est cognita) qua dicitur apta comparari illi naturæ communi, tanquam vnum inferius, in quo fit; alteram vero, qua redditur apta, vt de illa talis natura superior prædicetur prædicatione dicente: hoc est hoc.

Corol. 1.

Ex quibus inferitur primo, quod sicut in natura communi, prima aptitudo est prior, quam secunda; & ideo in illa consistit essentia vniuersalis, in ista vero eius propria passio: sic per primam aptitudinem natura inferior constituitur essentialiter in esse inferioris, & subijcibilis: secunda vero est eius propria passio. Inferitur secundo, quod sicut prædicabile radicaliter sum-

Corol. 2.

prum est idem, quod vniuersale; licet pro formaliter explicet eius proprietatem: sic subijcibile radicaliter idem, quod inferius significat: quamvis pro formali ordinem ad subijci, seu ad esse subiectum in prædicatione, in quo eius passio consistit, importare videatur.

Dicendum primo. In subijcibili datur duplex aptitudo, quarum vna est eius essentia, & altera eius passio: probatur: subijcibile, & vniuersale, sunt cõrelatiua: sed in vniuersali, respectu subijcibilis, datur prædicta duplex aptitudo: ergo & in subijcibili, respectu eiusdem vniuersalis, dabitur etiam duplex aptitudo præexpõsita.

1. Conclus.

Dicendum secundo. Aptitudo, in qua essentialiter consistit ratio subijcibilis, est illa, qua dicitur esse vnum, in quo, tanquam in inferiori, sit natura communis per intellectum illa vero, qua est aptum esse subiectum prædicationis, est eius propria passio. Hæc patet ex dictis in corpore articuli. Argumenta, quæ contra hoc fieri possunt, doctrina in quæst. 3. tradita, diluantur.

2. Conclus.

ARTIC. VI.

An sint tantum quinque subijcibilia?

RATIONES probantes esse plura, vel pauciora, quam quinque, sunt, quæ contra numerum vniuersalium cõfecta sunt à Doctore: & ideo illis prætermisissis, pro indagine numeri subijcibilium notandum primo, quod subijcibile, sicut de vniuersali dictum est, potest dupliciter sumi, large, & strictè: primo modo, omne inferius, quodcunq; sit, potest subijcibile appellari: secundo modo, tantum illud erit subijcibile, quod fuerit ens cõpletum, & limitatum, aptum esse vnum, in quo aliquod superius & limitatum sit intelligibiliter, de illoque prædicetur.

1. Not.

Secundo notandum: quod cum subijcibile per ordinem ad prædicabile superius sumatur: quot fuerint superiora prædicabilia, tot subijcibilia erunt. Vnde cum ex modo prædicandi quinque tantum (saltem à posteriori) vniuersalia colligantur: ex modo etiam subijciendi; seu (vt ita loquar) inferiorandi, quinque subijcibilia colliguntur; nam quidquid subijcitur alteri, vel subijcitur in quibus vel in quale: si primo modo: vel in quid incomplete: & sunt Species, & indiuidua, de quibus genus in quid incomplete prædicatur, de specie scilicet immediate, & de indiuiduis mediate: vel in quid complete, & conuenit solum indiuiduis respectu Speciei.

2. Notam.

Si secundo modo: vel subijcitur in quale essentialiter: & comprehendit indiuidua respectu Differentiæ; vel in quale accidentaliter: & hoc modo adhuc dupliciter: nam vel subijcitur conuertibiliter, & necessario, & competit indiuiduis respectu proprii: vel non conuertibiliter, & contingenter, & conuenit eisdem respectu accidentis communis.

Dicendum: subijcibilia sunt tantum quinque: ita vt nec plura, nec pauciora, esse possint: hæc est communis: & patet ex corpore articuli: & ex dictis in articulo primo.

Concl.